DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE MERCVRII XX. DECEMBRIS,

M. IOANNE FORESTIER, Doctore Medico, moderatore.

949

An contumacibus morbis ex ſtibio purgatio?

CONTVMAX morbus non vnius eſt generis; nam & acutus eiuſmodi eſſe poteſt, ſi non frangatur remediis; & qui natura longus eſt, vulgò contumax dicitur. Quid autem facit morborum contumaciam? naturæ imbecillitas, morbifici humoris plenior copia, vel maligna vis ab eximiâ putredine exortâ, & quæ à cruditate venit pigrities: augent & alunt contumaciam abſurda victus ratio, & intempeſtiuus remediorum vſus; anni etiam tempeſtas, cæli ſtatus, ſoli natura, conſuetudo aliquid faciunt: ſic non vna eſſe poteſt omnium contumacium morborum medicina; quorum vt varia & multiplex natura eſt, ita penè infinitus eſt remediorum numerus. Nunc addendæ cibis vires, nunc mutanda mala temperies, nunc exhauriendæ venæ, aliquando viſcera; vincenda putredo, excoquenda cruditas, coercenda gula, interdicendum alienis remediis; denique cum praua conſuetudine, cœli iniuriâ, infeſtoque ſoli genio pugnandum eſt: vt non ſatis videant, qui, omiſſis cœteris auxiliis, omnia putant in ſola purgatione collocanda.

PVRGANTIVM genus omne duplex eſt; quorum alterum verè hoc nomen vſurpat; humores enim excernendos eligit: alterum impropriè ſic appellant; nam quicquid ipſi occurrit, ſine delectu ſecum abripit: huius duæ etiam cenſentur ſpecies; vel enim ſolâ acrimoniâ laceſſit partes, in quas venit, & ab ipſis vnà cum aliis humoribus aliquâ cum perturbatione deuoluitur, vel ſuo ingenio noxium inimicas vires effundit quaquaverſum, halatque peſtem per omnes quaſi portas corporis, grauiter afflictâ naturâ prorupturam. Ab hac purgantium ſpecie, quouis in morbo, benè prudens medicus ſemper abſtinuerit, multo magis in contumaci, quando purgationis vſus eſt: quippe ferocem immitemque humorem & tandiu remediis obluctantem demulcere potius, quam furiare conuenit; neque ſolum venenata, & noxia vitare oportet, verùm etiam quælibet perturbantia vehementer reformidare, ſumma medicorum ſolertia ſit, ægrorumque ſecuritas.

STIBIVM adſcripſit purgantibus poſterior medicorum ætas, haud ſatis cautè: nam venenum eſt, eo nocentius, quo magis excoctum eſt; adeo humores & ſpiritus toto corpore inquinat, & dira tabe partes exedit: cum autem hæc ferè ſit omnium metallicorum ſors, vt hauſta valdè noceant, etiam quæ exteriori in corpore adhibita proficiunt, omnium tamen ſtibium ferè pernicioſiſſimum eſt, æternamque labem inurit viſceribus, nullis detergendam antidotis: quin pauciſſimum exitiale eſt; neque vlla arte fieri poteſt, vt, depoſitâ venenatâ vi, ſolam vacuatricem retineat; hoc etiam facit ad vacuationem quod venenum eſt. Scilicet acceptum ſtomacho, vt primum concaluit, peſtifero halitu, contactuque inceſtat omnia: hinc naturæ pugna cum eo eſt, rem noxiam deturbare connitentis, quacunque patet exitus, non ſolum vomitu, ſeceſſu, & vrinis, ſed aliquando etiam hæmorrhagia breui perditura ſic purgatos. Feliceſne quorum vitæ pepercit? an feliciores quos morborum, & grauioribus reliquæ vitæ moleſtiis celeriore fato exemit?

EX ſtibio purgare veneficorum primam artem fuiſſe credibile eſt; vt, ſpecie remedii, mercede conducti homines impunè trucidarent: arriſit tamen delicatis ægris eadem, ſed non intellecta ratio; quia iucundo ſapore fallebat, neque omnes ſtatim occidebat medicamentum. Incautos interea medicos ſollicitauit ſpes famæ fortunæque melioris, vt æmuli fierent turpium agyrtarum vel fraudis vel erroris: hinc exorti, quos nuper ille vocabat, inſontes venefici, qui guſtus ſeruirent deliciis, & in contumacibus morbis, ne quid inexpertum relinquerent, etiam venena propinarent, quaſi in humano corpore cum vitioſis humoribus commoritura. At ſtibium nunquam ſeſe exuit, &, vtcunque valeant hominis vires, vel in poſterum nocet; non hos illoſue humores in corporibus optat, quos ſecum auferat, ſed omnia permiſcet, conturbat, fœdat: vt in cholera nullo ſolatio plurimum deiicitur, euomiturque, ſic ex ſtibio purgatio nunquam leuat: caſus eſt quidam exacerbati morbi, quò non interire, tam ſalus eſt ægrotanti, quàm latroni viator vitam debet, à quo grauem aliquam, ſed non vltimam plagam accepit.

CONTVMAX morbus epilepſia, quam breui obducto ſtibio deſitura eſt in apoplexiam; & ipſam vltimam rerum lineam homini futuram! quid ſopor? quam facilè ſic coercitus ſuo locum dat conſanguineo? pertinacem etiam inuictumque lateris dolorem, pulmoniſque morbum quam ſæpe atroci morte commutauit ſtibium? nihil tabe contumacius; at nullum ei venit à ſtibio auxilium, ſed potius præceps ineluctabiliſque pernicies: cancros vero vt irritat! vt qualeſcunque ventris dolores, ſeu certo, ſeu incerto tempore redeuntes, ingeminat, lethaleſque reddit! vt rheumaticos interficiendo dilaniat! febribus quidem continuis aduerſiſſimum; ad tollendas intermittentes nefariè commendatur. Heu quoties febris intermittens oſtentatâ ſpe certâ ſalutis, longinquitate tamen grauis & ſtibio digna credita, ab eo malè multata, cum ipſomet ægrotante mille confecto doloribus, extincta eſt! quid enim? nulli vel leuiori morbo datur, quo non grauiorem creet: eo verò ſemper duriora contingunt omnia, quo ferocior humor eſt, qui morbum excitauit: qualis eſt contumacium morborum parens, quem ſtibium mirificè exagitat accenditque magis, &, cum reliquis toto corpore humoribus, teterrimè venenat. Quod vidit olim Schola Pariſienſis, cuius authoritatem Senatus ipſe ſecutus iudicauit, veneficii arceſſendos fore, quiccunque illætabili iſto medicamento ad purgationem abuterentur.

Non ergo contumacibus morbis ex ſtibio purgatio.

Proponebat Lutetiæ PETRVS REGNIER, Pariſinus. A. R. S. H. M. DC. XLV.

~~392~~

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus le Mercier	*M. Mathurinus Denyau.*	*M. Philippus Harduinus de S. Iacques.*
M. Claudius Guerin.	*M. Franciſcus le Vignon.*	*M. Helias Beda.*
M. Petrus Yuelin. Med. Reg. & Reginæ ordin.	*M. Petrus Legier.*	*M. Franciſcus des François.*